



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Modus audiendi Missæ Sacrificium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

narratio historiæ , compositio loci , & petitio
gratiæ , vel certè duo ; tum exercitium memo-
riæ , intellectus , & maximè voluntatis ; tum
colloquium , in quo maior reuerentia requi-
ritur , quām in discursu . Demum Pater no-
ster , ac deinde cum reuerentiâ vsque ad ter-
ram , surgendum . Post orationem , breuis fle-
xio , si bene , gratiæ agendæ ; si male successit ,
cum pœnitudine causæ inquirendæ . Ultimò
notanda , primò successus , secundò proposi-
tum , tertio motuum .

Missa Sacrificium.

INTER eundum cogita quò eas , nempe ad
Deum ; & quid facturus , nempe oblatus
Filium suum . In loco , pete gratiam , renoua
intentionem manè factam , nempe ad glo-
riam Dei ; in gratiarum actionem pro Com-
munione , vel præparationem ad illam , & vt
impetres hoc , vel illud . Vni demum hoc
Sacrificium incruentum cum illo incruento
in arâ Crucis oblato , & actionem illam tuam
cum ipso Sacrificio . Ab initio vsque ad obla-
tionem attende verba , ad illud quod agitur .
Ab oblatione , incipiam percurrere passio-
nem Christi , inchoando ab oratione in hor-
to , ita vt dum dicitur *Sanctus* , eò peruenierim ,
vbi Christus prosternens se in Cruce , à torto-
ribus

ribus clavis illi affigitur. Hic animo ad Deum
Patrem eleuato, inuitabo illum, *Aspice Do-*
mine in faciem Christi tui, & per caput eius spi-
nis coronatum, orabo primò pro Summo
Pontifice, Imperatore, Regibus, Principibus
Christianis, & petam det illis gratiam bene
gubernandi, & defendendi Ecclesiam suam:
secundò per idem caput pro R. P. N. Gene-
rali, Prouinciali, Rectore, Ministro, Patre spi-
rituali, Præceptoribus, &c. Per manum de-
xteram pro amicis carnalibus, det illis gra-
tiam obseruandi præcepta sua, tum pro spi-
ritualibus, commendando primò omnes qui
in eodem Collegio mecum habitant, & pro
quibusuis nominatim, petendo pro illis hæc
tria: primò Angelicam castitatem, &c. secun-
dò, sint bonum instrumentum Societatis:
tertiò, perseuerantiam in vocatione. Per ma-
num sinistram pro omnibus inimicis meis,
hæreticis, gentilibus, & existentibus in pec-
cato mortali. Per pedem dexterum pro om-
nibus illis, qui liberiùs & dissolutiùs viunt
in Societate, ut eorum imperfectiones non
impediant fructum Societatis. Per pedem si-
nistrum pro omnibus apostatis factis, ut illo-
rum Deus dignetur misereri. Ad eleua-
nem imaginabor mihi verā in Cruce crue-
*tati corporis eleuationem, & dicam: *Adoro**
te Christe, & benedico tibi, quia per sanctam

Cry.

*Crucem tuam redemisti mundum. Et ulterius,
Anima Christi. Ad Nobis quoque peccatoribus,
cogitabo de Vulnera lateris, & statim petam
a Christo, ut dignetur in illo abscondere So-
ciatem suam, & ut illam conseruet, defen-
dat, & augeat; secundò, commendabo defun-
ctos parentes, & amicos meos carnales, de-
functos Societatis, & illos defunctos, pro qui-
bus pauci orant, & qui precibus maximè in-
digent: tertio, ut me in illo abscondat, & der-
mihi veram charitatem, latitudinem spiritua-
lem, sanctitatem, doctrinam (si sit maior glo-
ria eius) Angelicam castitatem, faciat me bo-
num ministrum Societatis; & perseveran-
tiam in vocatione, affectum erga B. Virgi-
nem, & virtutem examinis particularis, verbi
gratiā, charitatem, vel veram internam hu-
militatem. Communicabo spiritualiter, &
reliquo tempore attende ad verba Sacerdo-
tis, & cum illo gratias age. Post Sacrum pri-
mò dole, secundò gratias age, tertio vni actionem
tuam cum Sacrificio. Dic *Magnificat*
pro indulgentiā omnium defectuum.*

Communio.

INTER eundum cogitabo quid sim factu-
rus, nempe sumpturus verè carnem & san-
guinem Filij Dei, & filij beatæ Virginis. Inui-
tabo